

fornicibus picta fuerunt sub matrona tria sceptram manu gestante.

MDLXXXIII. Die vigesimo mensis martii Abraham Manasse Hebræus una cum tribus ejus filiabus, & uno filio per Guarnerium Trottum Episcopum Alexandrinum baptizare se fecit, cujus patrinus fuit Cæsar Cutica Cassinarum Marchio, impositumque illi fuit nomen Johannes Cutica, & cum hæc fierent visus est sol veluti iride coronatus.

MDLXXXIV. Die decimoquarto mensis januarii Reverendissimus Guarnerius Trottus Alexandrinus Episcopus vitam cum morte commutavit. Die vero decimoquinto dicti mensis in Choro majoris Ecclesiæ humatur, qui tredecim annis Episcopatum tenuerat. Vir fuit sanctitate vitæ per hæc tempora nulli sanctissimo secundus, ut sileam nullum doctrinarum genus esse, in quibus non fuerit excellentissime versatus. Eodem anno in festivitate S. Laurentii martyris Octavius Paravicinus Episcopus patriæ nostræ a Gregorio XIII. Pontifice maximo datur, Civitatem hanc summo omnium civium applausu, ac maxima, solemnique pompa ingreditur. Hic patriæ meæ libet vere gratulari. Si qua Civitas forte inter multos habuit unum aliquem eximium Episcopum, gloriari solet, & merito; quantum vero tandem nos dicemus esse felicitatem nostram, qui quotquot memoria nostra nobis contigerunt, Pontifices universi tales fuere, ut nullam ullius generis virtutem in illis quispiam desideraverit. Incedit æmulus superioribus pleno gradu, & felici spiritu Octavius, nosque non jam spem, sed uberem frugem ex virtutibus optimi Pastoris carpimus. Delibat aliquid de voluptate nostra tanti viri absentia, dum mandatis Sixti V. summi Pontificis obtemperans honestissimo Apostolicæ legationis munere apud Helvetias procul a nobis in maximo desiderio totius Civitatis, ac Provinciæ nostræ fugitur. Eodem anno die vigesimoquinto mensis augusti in Civitatem adductum fuit sacrum caput unius ex undecim mille Virginibus, Sanctisque Dei martyribus, quæ pro Christi fide, & Virginitate tuenda ab Hunnis interfectæ fuerunt, quarum princeps Ursula fuit, quod in Colonia Helvetiorum observabatur; sed grassante hæresi, ac militum furore, cum in nullo ferme honore esset, frater Bernardinus Lanzavecchia Alexandrinus Ordinis Minorum, qui forte itidem sacris literis incumberebat, illud habere procuravit a sacris Monialibus Fontis Beatæ Mariæ Virginis (ita enim appellabantur), quod summa cum veneratione per fratres Conventuales Minoritas sancti Francisci suscipitur præeunte solemnibus processione,

Guardiano existente Reverendo fratre Thoma Cermello. Eodem anno die III. mensis novembris illustrissimus Carolus Borromeus titulo sanctæ Prædix Cardinalis, & Mediolani Archiepiscopus summo omnium cum dolore moritur. Hic terrena despicens totum se Deo in orationibus, jejuniis, elemosinis, peregrinationibus, & piis operibus dedit; quæ omnia si perscribere vellem, nunquam rei incoeptæ finem imponerem. Nam de anno MDLXXVI. cum pestis Mediolanum infestaret, ipse tali morbo infectos visitabat assidue Sacramenta administrando, ac suis manibus sublevabat; quotidie vigilanter invisebat, & victum subministrabat ipsis. Eodem anno bini arcus pontis Tanari per Rempubliam Alexandrinam, illiusque Comitatum, cum Clerus nil opis adferre voluerit in hac re, refecti fuerunt.

MDLXXXV. Die undecimo mensis martii Carolus Emanuel Sabaudia Dux Catherinam Philippi Regis Hispaniarum filiam in uxorem duxit, cum prius in Civitate Cæsarea Augusta Archiepiscopus ejusdem omnes sponsaliorum cærimonias rite peregisset. Eodem anno die decimo aprilis Gregorius XIII. Bononiensis, & ex Boncompagnorum familia Pontifex maximus moritur, in cujus locum Sixtus V. a Montalto oppido in Anconitana regione die XXIV. ejusdem mensis sufficitur. Eodem quoque anno Constantinus Zucca Alexandrinus de Monte-Castello, medicinæ Professor egregius, atque excellens, hoc potissimum tempore floruit in Gymnasio Ticinensi multa cum omnium commendatione, & laude. Hoc anno demandatur ei munus explanandi, ac declarandi primariam medicinæ lectionem matutinis horis, quod quidem & libenter suscepit, & diligenter obit, cum omnium scholasticorum, & Alexandrinorum præsertim utilitate, qui ad eum audiendum illuc convolant. Mihi quidem ægritudine quadam laboranti summo adjumento fuit, & usui; nam hoc eodem anno Papiæ accesseram, & humaniter ab eo complexus sum, & curatus egregia cum prudentia, & fide, quod testimonium libenter tribuo meritis viri mihi veteris amicitia jure conjunctissimi, quam a pueritia inchoatam mutuis officiis diligenter, & sancte semper coluimus, quamque obsequiis hinc inde assidue colimus.

MDLXXXVI. Dira pestis maxime invasit Civitatem Eporredia Allobrogum Duci subjectam, in qua omnes perierunt, quæ multos menses duravit.

Non ultra annum MDLXXXVI. progreditur cum patriæ jactura opus istius veridici, præstantissimique scriptoris Alexandrini, qui in ea obiit die XII. mensis octobris anno MDCVII.